

Pretium Petronianum 2021. Thema 3: Caesar heute - wo man ihn nicht alles trifft...

Jonas Mach, Achim Rohweder, Livia Scheffler

Dea molliter amplexa animam terrenis vinclis resolvit curruque columbarum ascenso summum in caelum subvolat. Alte altiusque cursum volucrem moderans: „Noli metuere“, inquit, „proles clare mei fili! Iuppiter, qui patria potestate divina et humana regit, te honoribus caelestibus dignum esse fatus est. Ecce, filius omnibus temporibus sedulo matri auxilium ferens ad munus praestandum advolat. Stella in primo ordine posita et summo nitore coruscans eris. Sequere filium, ut ille locum tibi destinatum monstret!“ Venere digressa anima Amorem subsequitur. At forma Caesaris reddita ille animo ludicro non ad axem caeli, sed virum manu tenens per tempora ducit. Sub pedes viatorum saecula saeculis succedunt, dum Amor ridens miserum manibus solutis in terram mittit.

Caesar cum surgat, oculos tollat, circumspiciat, se Romam venisse intellegit; semper enim suam urbem cognosceret, etsi permultis saeculis praeteritis species odor sonus urbis omnino mutata essent. Et vero facile perceptum est aliquot annos praeterisse, ex quo tempore proxime urbem viserat. Nam quadrigae ferreae ei ignotae, quibus equi desunt, ingentem strepitum faciunt, quo maiorem ne Gallicis quidem in oppidis umquam audivit, et cesserunt togae tunicis varii coloris, qui vestitus incultus ei displicet. Huius indignationis autem celeriter obliviscitur, cum amphitheatrum maximae, ne dicat colosseae, magnitudinis aspicit. Quod cum suis pro populo Romano meritis plane dignum iudicet, comperire cupit, quis posteriorum sit optimus auctor magnifici certe Caesari consecrati aedificii. Quibus cogitationibus adductus ad militem legionarium, quem sub amphitheatro stantem videt, percontandi causa accedit. Sed appropinquans animadvertit istum ampliore esse corpore, quam militem decet, inepto apparatu ornatum, barbam turpiter promississe. Qua de causa Caesar arbitratur oportere se prius istum graviter et severe reprehendere; primum eius habitum non tolerandum, deinde etiam Gallos cultiores, tum sua sententia tales viros ordine movendos, denique eum omnino dedecus esse populo Romano. His dictis miles „Lei vuole“, inquit, „fare una foto insieme?“ Operae pretium sane non est, propterea quod in nequam tironem incidit, qui ex agresti parte Italiae ortus ne bene quidem Latine loqui potest. Postquam igitur Caesar rogavit, ubi Forum esset, in quo senatores magistratusque interrogare posset, miles ei iter ostendit.

Eo quam celerrime profectus magnis itineribus contendit. At quid videt? Forum, templa, basilicae – ruinae, quocumque oculos convertit... Alieno horrendoque aspectu urbis patriae confusus et de Foro neglecto indignatus Caesar aediles extemplo compellandos esse censet. Ingentes gradus ad Forum facit, quod intrare munitio ferri solidi eum impedit. Magna voce conclamat: „Ea machina nefaria - innumerabilia oppida oppugnata testor - ullo modo Caesarem inhibere nequit!“ His dictis maximo saltu dato animosus ad machinam expugnandam provolat.... Quidam ioculator ridicule vestitus Caesarem lingua aliena pravaque alloquitur: „Senza biglietto Lei non può entrare!“ „Certe

Caesar intrare debet!” “Palatino, Foro, Colosseo, sedici euro”. “Stolide, quid Caesarem, dictatorem rei publicae, introitu prohibes?” Vir insolens Caesarem diligenter inspicit. “aaaa, si si, sei un attore, sei parte del spettacolo, ma perché non hai detto dall’inizio?” Dum Caesar proelium parat, machina manu comici breviter adducta quasi magica quadam arte angiportum transmeandum concedit.

Cum ianua summa velocitate relicta in Forum decurrerit, quasi amens ultro et citro per campum spatiosum cursitat proclamans: „Dic mihi, o loce a puero notissime et carissime, quo templa ornatu cultuque speciosa cesserint, quo basilicae amplae voces mercatorum innumerabilium recinentes, quo civium frequentia familiarium, quo rostra antiqua pro quibus clarissimos Romanos ad populum dicentes vidi.“ In omnes partes pervolitans se civem Romanum esse unicum, inter peregrinas catervas solum intellegit. Medio in Foro vires virum deficiunt prope a vestigiis basilicae Iuliae. Omni continentia proiecta miser genu submissus pectora plangere, pulvere faciem infuscare, togam scindere incipit. Crinibus exiguis sparsis frontem ad caelum vertit et conclamat: “O di immortales, quid patior? Quid his imaginibus Romae dirutae animum torquetis? Iuppiter Pater, eripe me, si quid misericordiae concito, e ruinis tristibus.”

Multitudo adsistentium hominum ingenti plausu clamoreque Caesarem perturbatum eximia laude ornat. Plerique in manibus capsulas quadras tenent, quae parvula fenestra instructae sunt, et Caesari appropinquant. Qui hac impietate iratus gradum ad unum ex his facere conatur, cum iste digito capsulae breviter imposito fulgur emittit. Hoc fulmine percussus Caesar sentit se sursum ferri atque placido vultu intellegit Iovem sui miseritum.